



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Hyemalis - A Dominica I. Adventus Domini nostri usque ad
Dominicam Septuagesimæ

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. 2. Tim. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44194

Ephes. 3.
2. Thess. 1.

aliquid, quod ibi hærebat tenacius. Nec ul-
lum motivum aptius huius præcisionis & ob-
lationis faciendæ, quam quod hæc modò pro-
ponitur, ne videlicet aliquid detrahatur & pe-
reat de Christi merito & beneplacito. *Ut im-
pleamus in omnem plenitudinem Dei. Ut dige-*

*mur vos vocatione sua Deus noster & impleat om-
nem voluntatem Bonitatis. Et opus fidei in vir-
tute, ut clarificetur Nomen D. N. JESU Chri-
sti in vobis: & vestis illo, secundum Gratiam
Dei nostri & Domini JESU Christi.*

E O D E M D I E.

EX VERBIS SUPRA RELATIS, A P O S T O L I:

VERITAS PRACTICA.

Discedat ab iniquitate omnis, qui nominat
nomen Domini, 2. Tim. 2.

RATIO EST, Quia Nomen Domini Jesu, or-
dinariè tantum nominatur, vel ad Laudem
& honorem ipsius Nominis; vel ad Invocatio-
nem: vel ad intentionem operis cuiuscumque
nostri, sic formandam.

Sed quodcumque horum trium consideratur, sive
Invocatio, sive intentio: non potest proprie
rè & fructuose nominari Nomen Domini, ab
eo qui fuerit in iniquitate.

Ergo discedat necesse est ab iniquitate omnis qui
nominat nomen Domini, aut ne illud assumat;
aut in vanum assumet; quod nefas est.

PRIMA propositio tantum est applican-
da in suis terminis.

SECUNDA sic aperte declaratur per
singulas partes. Prima est de laude No-
minis, cuius præcipua commendatio est quod
Salvatorem significet? non qualemcumque,
sed à peccatis, ab iniquitate, & malitia. Singu-
laris certè & eximia commendatio: sed si fiat
ab iniquo, si fiat ab homine existente in pec-
cato, & non discedente ab iniquitate sua, nul-
la profusus erit, aut nisi ridicula talis commen-
datio. Commendabit enim verbo quod ipse fa-
cto reprobat, dicet valdè laudandum Iesum
quod purget à peccato: & negabit id esse lau-
dandum, cum suo ipse purgari nolit.

Prov. 25.

*Aufer impietatem de vultu regis, dicebat
Sapiens, si regem scilicet laudas, quod vultu
suo indicet, quanto in odio habeat impieta-
tem, aut iniquitatem in qua auferenda, regem*

dicis esse laudandum? Sic aperte Psaltes re-
gius: Peccatori dixit Deus, quare tu enarras
iustitias meas, & assumis nomen meum per os
tuum. Denique non est speciosa laus in ore pecca-
toris.

Pf. 65.

Eccles. 15.

Sic de Invocatione auxiliij, quod aliud se-
quitur in propositione probandum, Rectè qui-
dem per hoc sanctum Nomen, quacumque in
necessitate, divinam implores opem, cum
non sit aliud nomen sub caelo datum hominibus,

Ab. 40

in quo oporteat nos salvos fieri: sed nonne scis,
Deum opem suam retrahere ab iniquis? An ig-
noras quod probè scivit ille Ammonites, qui
sic de Deo quem Judæi colebant, magnificè
loquebatur? Deus illorum odit iniquitatem,
perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspe-
ctu Dei eorum; ascendamus ad illos, quoniam
tradens tradet illos Deus eorum tibi, & subju-
gati erunt sub iugo potentia tua. Si verò non est
offensio populi huius, coram Deo suo, non poterimus
resistere illis, quoniam Deus eorum defen-
det illos.

Judith. 9.

Quod maximè patuit in electo illo viro Jo-
suè qui sacri JESU nominis figuram suo ipse
nomine præferbat. Cum enim aliquando
præter morem vidisset Israëlè terga verten-
tem suis hostibus, quos semper ipso duce de-
bellarant, *Mi Deus;* inquit, *quid dicam? Et
quid facies magno Nomini tuo? Tum vero Do-
minus, Surge, cur jaces pronus in terra? pecca-
vit Israël, Quasi diceret, frustra invocas no-
men meum, frustra per nomen meum tibi o-
pem conciliastis quid à me speres, quam diu
vel unus erit inter toc millia, qui vel iniquita-
tem admisserit, vel non dimiserit. Stupendum
certè exemplum, & diuinus expendendum.*

10. 7.

Ter-

Tertium denique quod spectat ad Intentionem operis nostri, sub hoc foelici formandum Nomine, non tam rectè & fructuosè formabitur, si nominetur in peccato Nomen, quam si extra peccatum pronuntiaretur. Neque enim potest quidquam in Nomine Domini fieri, si cum peccato fiat, aut si peccatum fiat, aut si fiat in lethali peccato. Quæ quia fufius in crast. no. pertractantur discursu, satis modò sit agnoscere quàm verè Apostolus dixerit, *Discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini*; Quicumque tandem ille sit, siue Sacerdos, siue Laicus: siue Religiosus, siue sæcularis, siue Dominus, siue servus: absolutè atque universim denuntiatur *omnis*, nulla seclula persona, nulla prætexta causa, nulla prætextata necessitate, vel occasione, vel

consuetudine nominandi, nisi prius discedat ab iniquitate, si quam contraxerit, nisi contemnatur & doleat, nisi sit in illa gratia quæ animam sanctam & gratiam Deo reddit, nè sanctum hoc pronuntiet Nomen, quia frustra pronuntiaret, frustra laudaret, frustra invocaret, frustra se offerret: *Sanctum & terribile nomen eius*, ut non impunè scilicet contaminetur à lingua iniqua. *Irritat adversarius nomen tuum in finem*: O miseriam peccatoris, qui factum nomen Jesu non ausit tunc pronuntiare? O beatam vtro necessitatem deponendi peccati: ut vel discedat necessè sit à peccato, qui Nomen Jesu nominare velit; vel nisi velit à peccato discedere, nefas sibi ducat proferre Nomen Jesu!

Pf. 110.

Pf. 70.

E O D E M D I E.

DE CIRCUMCISIONE SPIRITUALI.

Circumcidimini Domino, & auferte præputia Cordium vestrum. Ier. 4.

VERITAS PRACTICA.

Quarta est modo nobis obligatio ad non suscipiendam Circumcisionem legalem, tanta est ad suscipiendam spiritualementem.

RATIO EST, Quia tota obligatio quæ tenemur ad non suscipiendam Circumcisionem legalem, petitur à lege seu religione Christiana quæ illam modò vetat.

Sed eadem lege & religione Christiana jubemur suscipere Circumcisionem spiritualementem.

Ergo quanta est unius obligatio, tanta est alterius, Quod certè est non parvi ducendum.

PRIMA propositio per se patet, & declaratur infra fufius, Sabbato post Dominicam primam Epiphaniæ, ubi quàm similis huic Veritati Veritas proponitur.

SECUNDA verò sic demonstratur; quia Circumcisio spiritualis, nihil aliud est quàm talis mortificatio interior vel exterior, qualis necessaria est ad vitandum omne peccatum, & faciendum omne bonum, à Deo tibi jultum. Talis autem mortificatio tam necessarid jussa est, quàm necessarid est vitandum malum, aut tale bonum faciendum, quod non possit fieri, nisi per hujusmodi mortificationem: Unde illa Christi Domini toties iterata, *Si oculi tui scandalizatis, si pes, si manus: eruo, præscindo, amputa*, Id est, si qua re externa aut aliquo rei affectu impelleris ad peccatum; mortifica hunc affectum; Quod idem est ac circumcide, *Circumcidite præputia cordium vestri. NOS sumus Circumciso, qui spiritu servimus Deo*, inquit Apostolus; quasi diceret, primò quidem, tam necessaria est talis Circumcisio quàm nos esse spirituales quàm nos esse Christianos, quàm nos servire Deo. Deinde vtro *Nos sumus Circumcisio*, Id est, quanti

Matth. 52.
18.

Deut. 10.

Phil. 3.
Rom. 2.